

Genesis 2:18-3:19

Deus, Narrator, Adam, Eva, Serpens

Deus: "Non est bonum esse hominem solum; faciam ei adiutorium simile sui".

Narrator: Formatis igitur Deus de humo cunctis animantibus agri et universis volatilibus caeli, adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea. Adae vero non inveniebatur adiutor similis eius. Immisit ergo Deus soporem in Adam. Cumque obdormisset, tulit unam de costis eius et replevit carnem pro ea; et aedificavit Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem et adduxit eam ad Adam.

Adam: "Haec nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea! Haec vocabitur Eva".

Serpens (ad Evam): "Verene praecepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi?"

Eva: "De fructu lignorum, quae sunt in paradiso, vescimur; de fructu vero ligni, quod est in medio paradisi, praecepit nobis Deus, ne comederemus et ne tangeremus illud, ne moriamur".

Serpens (ad Evam): "Nequaquam morte moriemini! Scit enim Deus quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut Deus scientes bonum et malum".

Narrator: Vidit igitur Eva quod bonum esset lignum ad vescendum et pulchrum oculis et desiderabile esset lignum ad intellegendum; et tulit de fructu illius et comedit deditque etiam viro suo secum, qui comedit. Et aperti sunt oculi amborum. Cumque cognovissent esse se nudos, consuerunt folia ficus et fecerunt sibi perizomata.

Deus (Ad Adam): "Ubi es?"

Adam: "Vocem tuam audivi in paradiso et timui eo quod nudus essem et abscondi me".

Deus: "Quis enim indicavit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo tibi praeceperam, ne comederes, comedisti?"

Adam: "Eva, quam dedisti sociam mihi, ipsa dedit mihi de ligno, et comedi".

Deus (ad Evam): "Quid hoc fecisti?"

Eva: "Serpens decepit me, et comedi".

Deus (ad serpentem): "Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia pecora et omnes bestias agri! Super pectus tuum gradieris et pulverem comedes cunctis diebus vitae. "

Deus (ad Evam): "Multiplicabo aerumnas tuas et conceptus tuos: in dolore paries filios."

Deus (ad Adam): “In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae. Spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbas terrae; in sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris ad humum, quia pulvis es et in pulverem reverteris”.